

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0814

0812

0818

0808

0823

0803

0863

0763

0913

0713

0313

Ende

Anfang

241

his loquitur Jeronymus in libro ad Pammachum contra Jo-  
hannem Jerosolymorum episcopum schismaticum. Post anno-  
rum multorum curricula sancto Gregorio sedem Petri tenente  
anno Domini DLXXXIV. inventa fuit in Masphat prope Jeru-  
salem tunica Domini inconsutilis in arca marmorea, quae cum  
jejuniis et fletibus S. episcopus Gregorius Antiochenus, Hono-  
rius Jerosolymitanus, Johannes Constantinopolitanus, transtu-  
lerunt in Jerusalem ad ecclesiam Golgatanam cum multo vulgi  
gaudio et devotione.

Anno Domini sexcentesimo nono surrexit in oriente singu-  
laris ferus Cosdroë, rex Persarum, qui collecto gentili exercitu  
Aegyptum, Syriam et Palästinam devastavit seque omnibus  
modis Romanis (**B**) legibus opposuit. Post multorum autem  
civitatum suppressionem ingressus Judaeam sanctam civitatem  
Jerusalem repletam devotissimis Christianis obsedit et cepit  
et in ea triginta millia hominum interemit, quorum corpora  
extra urbem in torrentem Cedron projici mandavit. Quidam  
autem ingens leo a Deo missus accurrit et cadavera Christia-  
norum tulit eaque in monte martyrum prope Jerusalem se-  
pelivit, ut habetur in ecclesiast. histor. et supra fol. 272 A.  
Aliquos autem nobiles et captivos inclusit, inter quos etiam  
Zacharias episcopus Jerosolymitanus tentus fuit. Murum ergo  
civitatis sanctae cum dissipasset, ingressus est templum domi-  
nici sepulchri, ut eo spoliato destrueret. Accepta autem sancta  
cruce, quam Helena thecis aureis inclusam ibi posuerat, cum  
ad templi destructionem manum mittere praesumisset, quaedam  
divina virtus e sepulchro Domini resplenduit, qua perterritus  
cum suis a coepita destructione destitit et cum spoliis et  
sancta cruce et captivis in Persidem rediit. Post haec va-  
statis ecclesiis in oriente misit filium suum ad partes aquilonis  
in Syriam, ut et ibi gentes subjugaret et ecclesias vastaret,  
et transensis multis regionibus consedit juxta Danubium,  
contra quem Heraclius imperator processit et vicit, ut habe-  
tur de exaltatione sanctae crucis. Eo autem victo et patre  
occiso et regnis restitutis sanctam crucem et Zachariam epis-  
copum et omnes captivos et spolia retulit in Jerusalem, et  
diruta templi et urbis reparavit, et Christianis restituit ordi-  
nationes, omnia secundum ecclesiasticum ritum. Steterat